

» vestrae locis vim obtineret, ac preterea exilio et perpetui carce-  
» ris, et publicationis fundi venditionisque aedificii contra securi-  
» facientes poenam edixisse: quasi vero ecclesiae et ecclesiasticae  
» personae temporali vestrae jurisdictioni subjectae aliquo modo  
» essent, vel qui ea ratione in vestris dictionibus ecclesias et alia  
» pia ac religiosa loca abstruerent, tamquam in aliquo scelere de-  
» prehensi muletandi viderentur. Ulterius accipimus, vos, mense  
» martii proxime elapso (inhaerentes altero senatus vestri decreto  
» anno 1536 facto, in quo, ut asserebatis, erat etiam expresse  
» prohibitum, ne quis sub certis in eo contentis poenis in urbe  
» Venetiarum ejusque ducatu bona immobilia ad causas pias testa-  
» mento, seu donatione inter vivos relinqueret aut quovis alio ti-  
» tulo alienaret, sive ad earum favorem, ultra certum tunc expres-  
» sum tempus obligaret, quod in illum usque diem, ut ibi etiam  
» dicebatur, usu receptum et observatum non fuerat, quod pariter  
» a vobis abrogari debuisse), non modo iterum id sine senatus  
» vestri licentia fieri nominatim vetuisse, sed expresse prohibuisse  
» ne ejusmodi bonorum immobilium alienationes in favorem per-  
» sonarum ecclesiasticarum fierent ac alterius decretum ipsum, et  
» poenas in eo contentas per universum dominium vestrum exten-  
» disse, atque insuper bona immobilia omnia quae contra praefec-  
» missarum formam vendi aut quovismodo alienari contingenteret  
» ultra nullitatis poenam publicari et vendi, eorumque praedium  
» inter rempublicam vestram, magistratum exequentem et ejus  
» ministros, ipsumque denuntiatorem dividi mandasse; perinde  
» ac si temporalibus dominis liceret in ecclesiastica bona, ea praefec-  
» tertim quae ecclesiis, ecclesiasticisque personis et aliis locis  
» piis a testatoribus, et a caeteris Christifidelibus remedio pecca-  
» torum, et exoneratione conscientiae plerumque relinquuntur, aut  
» alio modo conseruntur, jus aliquod exercere, sive de illis absque  
» legitimo ecclesiasticarum personarum consensu, Romano praefec-  
» tertim Pontifice inconsulto, disponere; et alias ut in decretis et  
» mandatis vestris novissime per vos editis et promulgatis, quae